



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

3. De baiulatione Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

bili erga tam ingratos commiserationis & dilectionis excessu? Comparsio, gratitudo, amor, zelus Christum in ferendis iniurijs æmulandi.

III. De Baiulatione Crucis. Ioan. 19.

I. **L** Atâ mortis in auctorem vitæ Iesum sententia, applaudentibus Iudæis, confestim ab improbis ministris & licitoribus immaniter purpurea chlamyde iam vulneribus eius tenacius adhærente exiit, nudus rursùm ab omnibus deridendus prostituitur, suis deinde vestimentis indutus graui crucis quindecim longæ pedes, octo latæ oneratur ligno, in quo in monte Caluarie immolaretur: sicut olim Isaac ligna sacrificij imposita fuerunt deferenda in montem, vbi sacrificaretur. Quanta alacritate Saluator noster voti tandem sui compos factus, regnaturus a ligno hoc regale crucis sceptrum obuijs brachijs amplectatus fuerit? quanta mentis exultatione, videns impletum illud: *Dabo clauem domus David super humerum eius.* Et: *factus est principatus super humerum eius,* paratam sibi crucem. dissuauatus fuerit? multò dubio procul maiore, quam

Gen. 22.

Isa. 22.

Isa. 9.

quã olim sanctus Andreas à longè sa-
lutarit. Quẽ tam ingens ardor amoris
Christi sic anhelantis ad crucis oppro-
brium, non accendat ad expetendum
& amplectendum crucis & oppro-
briorum eius consortium? Amor cru-
cis, resignatio.

H. Baiulans sibi crucem educitur in
montem Calvariæ, à Pilati palatio
mille viginti passibus distitum. En ut
alter Isaac, non iam lignorum fascem,
in quo aries immolandus, vegeto cor-
pore gestans, ab amantissimo parente
Abraham, ignem & gladium quidem
ferente, sed blandè simul filium con-
solante, ad montem visionis peraman-
ter educitur: sed ponderosam crucis
trabem, in qua ipsemet victimandus,
saudis suis humeris impositam ægre
trahens, ab immanissimis Sathana
ministris illum probrosè criminanti-
bus & inhumaniter propellentibus
ad montem Calvariæ raptatur. Quam
prompto hilariq̃ue animo hoc sacrum
onus baiulat, intuens non ludæo-
rum & Carnificum, illud ex odio sibi
imponentium crudelitatem; sed Pa-
tris cœlestis decretum; ex misericor-
dia & iustitia sic permittentis in
proprio filio expiari omnium homi-

num iniquitatem. Quam pios amoris erga Patrem, & miserationis erga omnes, maximè Electos, affectus ex intimis cordis sui penetralibus in hac via crucis elicuerit? quam ardentè veniam & misericordiam suis persecutoribus, copiosam gratiam suis imitatoribus exorarit? Quomodo sibi congratulatus fuerit iam instare horam ab æterno decretam, qua peccata mundi per crucem expiaret, impletetque illud Isaia: vaticinium: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Compassio, gratitudo, zelus perfectæ resignationis.

Isa. 53.

III. Et quidem inter alios duos nequam ad maiorem contumeliam educitur crucifigendus rex gloriæ, auctor omnis innocentia. Quam incomprehensibili intimæ humilitatis, mansuetudinis, resignationis sensu hoc tolerarit, non intuens præsens opprobriū, sed sanctum æterni Patris beneplacitum; gaudensque se posse implere illud: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum!* Zelus imitandi Christi humilitatem, & resignationem,

Isa. 53.

(. . .)